



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Festo Corporis Christi. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

Legitur autem de libris Regum, ex Decreto Gelafij, vt diximus *Secl. 5. cap. 12. num. 8. pag. 85.*

De Feflo Corporis Chrifti.

CAP. XX.

Officiũ ſcripfit ſanctus Thomas. & habetur in *Opufe. 57.* iuxta ritum illorum temporum. Hodie concordamus cum auctore, ſeruato ritu Pij V. in Officio toto, his exceptis. Capitulum in primis Veſperis erat aliud. Lectiones primi Nocturni erant de Scriptura veteri: amoto quarto Reſponſorio S. Thomæ, additum eſt ſextum de nouo, Pij V. iuſſu.

2 Per Octauam non mutatur amplius Inuitatorium, neque Antiphonæ ad *Benedictus & Magnificat.* Lectiones quoque pro tribus Nocturnis additæ ſunt à Pio V. in quibus apparent congruentiæ cum myſterio, etiam in primis Lectionibus, quæ de Arca Teſtamenti, Euchariftiæ figura, narrationem continent.

3 De Priuilegijs huius Octauæ, ſi concurrat cum Feſto, & Octaua ſancti Ioannis Baptiſtæ, & qua ratione excludat Semiduplicia Feſta, & Duplicia translata, diximus *Secl. 3. cap. de Octauis.*

4 De Simplici fit tantum commemoratio infra hanc Octauam. An nona Lectio erit legenda Negant aliqui, quia hoc non dicitur in propria Rubrica; quod tamen dictum fuit in Rubrica poſita infra Octauam Aſcenſionis: ſed vna Rubrica explicat aliam, prior poſtiorẽ. & patet debere legi, ex Rubr. gen. de *Commemor. 9. num. 10.*

5 Indulgentiæ conceſſæ ijs qui in-

terſunt Horis Canonicis in Feſto, & per Octauam, valent, etiamſi Officium dicatur de Sanctis occurrentibus, ex Decreto Ioannis XXII. quod ego legi in antiquo M.S.

De Dominicis poſt Pentecoſten.

CAP. XXI.

Non minorem viginti tribus, nec maiorem viginti octo Dominicarum numerum poſt Pentecoſten fore uſque ad Aduentum, ſatis ſuperque patet, quæ ſupplentur cum Dominicis quæ ſuperſunt poſt Epiphaniam, vt docuimus *Secl. 3. c. 5. de Dominicis pag. 25.* Ponuntur autem in Breniario Dominicæ vigintiquatuor cum proprijs Orationibus & Euangelijs, quæ fuerunt optimè per Dominicas diſtributa; Orationes quidem à ſancto Gregorio, Euangelia verò à ſancto Hieronymo: quorum auctoritas ſufficiat pro ratione, cur potiùs hæc vel illa Oratio; cur hoc vel illud Euangelium legatur; & hæc vel illa Dominica. Idem ferè, pauciſſimis mutatis, tum textus, tum ordo Euangeliorum hodie perſeuerat à ſancto Hieronymo præſcriptus, vt vidimus in eius Comite, ſeu Lectionario: in primis autem Dominicis poſt Pentecoſten apud minùs antiquos erat alius ordo, vel mutata ſedes aliquando Dominicæ pro diuerſarum Eccleſiarum uſu; quod videre eſt in *Ruper. toto lib. 12. de Diuinis Offic. in Gemma lib. 4. toto,* & in *Dutando lib. 6. toto.* Orationes item, quæ mox ſequentur, Ambroſianæ ſunt, & à ſancto Gregorio aliter diſtributæ, nimirum, Dominicæ quintæ, nonæ, & vigefimæ primæ, reliquæ Romanæ.

R 3

2. Tem-